procul dubio glandulæ inteſtinales ſimilem humorem ſtillantes: nam nullum in actionibus mendum obſervatum fuit.

VIII.

Vermes hirudinum inſtar proboſcide ſe internæ inteſtinorum tunicæ infigentes ac tæniarum more ab illis pendentes, monſtrarunt in Hiſt. 3. rationem & modum, quo inteſtina, umbilicum & inguina perforent, hisque in locis exitum, quorum omnium exempla etiam mihi in praxi obvenerunt, quærant apertum fit.

CAPVT XIV.

De Helleboro Albo. Hiſtoria I.

CAtello trium circiter ſeptimanarum d. 14. Jul. 1676. circa 2. pomerid. cum *Cl. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz, Hellebori albi* ſcrupulum lacti immixtum infudi, vix per momentum admiſſum maximam partem evomuit & paulò pòſt flavum per alvum egeſſit: mox rurſus aliquoties vomuit ſimulque convulſivis motibus variè jactatus fuit. Vix quadrante horæ elapſo mortui inſtar in latus decubuit ac linguâ exſertâ mortuo ſimilis jacuit, movente ſe ſolùm adhuc diaphragmate: peractâ horâ cum dimidia ſemimortui abdomen incidi, unde inter ſecandum pedes movere & vagire cœpit: aperto abdomine, ventriculum flaccidum & rugoſum invenimus: illo exempto cor & diaphragma ſatis validè, ſed per longiora intervalla, ſe moverunt. In inſpiratione diaphragmatis motus à cruribus incepit, ibique in tumorem abdomen ſpectantem attollebatur, ſupernam planitiem expandebantur, eamque tenſam, ita tamen ut in ambitu viderentur ſulci inter fibras carnoſas, craſſas & veluti

tumidas: in exſpiratione laxius, æquale & omnibus rugis deſtitutum evadebat. Tum aliquoties linguam adhuc exſeruit, ſanguis ex venis & arteriis effluens rutilus, fluidus minimeque grumoſus erat. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum ſupernè diſciſo invenimus pulverem Hellebori lacti grumoſo & muco viſcido immerſum: contentis ejus ſublatis circa ſtomachum intus ventriculus rubebat & aliquomodo inflammatus erat. Jam diu emortuo animale ſanguis in ventriculis cordis partim fluidus partim grumoſus & obſcurior erat.

Scholion.

H*Elleborus albus* quamquam nunquam ventriculi terminos egreſſus eſſet, brevi poſt infuſionem Præſidem ſyſtematis nervoſi ad convulſiones proritavit, acrimoniâ ſuâ nemini non notâ & ex inflammatione ſtomachi conſpicua, nerveam tunicam ventriculi vellicando ſævius quàm ferendo par eſſet, tenella catelli ſtrues partis in qua ille detinebatur, quamvis magna pars vomitu rejecta fuiſſet. Si ventriculi villi cum ætate adultiore robuſtiores evadere potuiſſent, forſan, ut alii canes *cicutam aquatic. cocculas* aliaque hujus generis eliminaſſet ac convulſionum & mortis ſævitiem effugere potuiſſet. Sanguis tardius apertis cordis ventriculis & jam frigefacto catello, obſcurior & aliquomodo grumoſus repertus fuit, qui alias ex ſemi mortui vaſis ſauciis rutilus & fluidus proſiliit: ut & ſic ſanguinis grumefactio mortis cauſa denuntiari nequeat.